



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibus

De Deo Effectore Creaturarvm Omnium. In tres præcipuos Tractatus
distributa. Quorum primus De Angelis

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1621

XV. Vtrùm omnes Angeli singulorum ordinum specie differant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84413)

ordine diuinz providentiz, quia inferiores peccando imitari sunt superiores, & omnes fuerunt a supremo induciti, & quodammodo superati, & ideo illius potestati traditi sunt etiam in iustam poenam, quæ tamen prelatio non in bonum superiorum redundat, sed in maius etiam malum, quia malis, & in malis præesse miserum est, vt dixit D. Thomas d. 1. q. 109. a. 2. in fine.

19. Quintum incidens dubium.

Vltimo expeditur ex dictis dubium, quod tractat D. Thomas d. 1. q. 108. art. 8. an homines prædestinati ad ordines Angelorum assumantur. Dicendum est enim, quod secundum perfectionem naturalem non possunt homines ad ordines Angelorum ascendere, quia naturalis perfectio illorum non potest essentialiter mutari, & ideo quantumcunque in aliis perfectionibus crescant, semper manent inferiores Angelis in natura, quomodo etiam ipsum Verbum incarnatum paulo est minoratum ab Angelis. At vero secundum ordinem gloriæ possunt multi homines ad ordines Angelorum assumi. Imo aliqua persona humana etiam creata supra omnes Angelorum choros ascendit, scilicet Virgo sanctissima. An vero præter illam, aliqui homines futuri sint omnibus Angelis beatiore, incertum est, neque cum fundamento affirmari potest, licet neque possit etiam cum maiori fundamento negari. Imo si verum est, Luciferum fuisse perfectissimum omnium Angelorum in natura, & consequenter futurum fuisse supremum in gloria, si perseuerasset, quia in maiori etiam gratia creatus fuit, probabilissime sequitur, aliquem hominum sedem illam occupaturum esse iuxta doctrinam Sanctorum supra traditam, quod homines assumuntur ad reparandas sedes Angelorum, ascendendo scilicet, ad illam celsitudinem gloriæ, quam illi essent habituri. Vnde consequenter fit, vt talis homo sit beator cæteris Angelis. Neque id potest soli Virgini attribui, nam illa multum supra illam sedem gloriæ, & ultra omnem chororum collocata est. Sicque de omnibus sedibus Angelorum, quæ in omnibus ordinibus trium Hierarchiarum vacuæ remanserunt, consequenter dicendum est. Non assumuntur tamen homines ad choros Angelorum, quoad ministeria, quæ circa homines, & Ecclesiam exercent, quia animæ humanæ non sunt ex spiritibus administratoriis, qui in ministerium mittuntur secundum communem legem, quia non est ita consentaneum naturæ animæ rationalis, vt postea suo loco dicemus. Denique certum est, non omnes homines esse ascensuros in perfectione gloriæ ad aliquem Angelorum ordinem: nam multi sunt inferiores in gloria omnibus Angelis, vt de infantibus mortuis in gratia, & de aliis peccatoribus, qui sero, & imperfecte iustificantur, manifestum est. Illi ergo dici possunt, vel nouum ordinem constituturæ, vel infimo ordini Angelorum aggregari, nec de hoc contendere oportet, quia solum ad modum loquendi spectat.

Certum est, non omnes homines ad Angelorum ordinem ascensuros.

CAPVT XV.

Verum omnes Angeli singulorum ordinum specie differant, vel dentur aliqui solo numero differentes?

1. Triplex sensus questionis.

Deo vel tria puncta solent de hac questione tractari. Primum est, an potuerit Deus de absoluta potentia sua duos, vel plures Angelos eiusdem speciei, & solo numero distinctos producere. Secundum, esto hoc non implicet contradictionem, an saltem dici possit impossibile, vel secundum ordinem Dei potentiam, vel secundum communem cursum naturæ, seu iuxta id, quod substantiæ immateriales connaturaliter exigunt. Tertium, an de facto Deus creauerit plures Angelos eiusdem speciei,

vel omnes quotquot sunt, specie differant, & hoc vltimum est, quod principaliter ad hunc locum spectat, nam priora magis Metaphysicam concernunt, & ita in illa sunt a nobis definita, tamen quia sunt necessario præuia, illa præmittimus, non repetentes alibi dicta, sed illa summam colligentes, eisque aliquid addentes.

In primo ergo puncto aliqui Thomistæ negant fieri posse, vt sub eadem specie vltima Angeli solo numero multiplicentur: expresseque declarant, id intelligi etiam secundum potentiam Dei absolutam. Et tribuunt D. Thomæ, quia vitur illis verbis, impossibile est, vt dicta q. 50. art. 4. & sequentibus. Et idem docet Caietanus in dicto art. 4. & latius tract. 3. opusculor. tract. 7. de ente & essentia, capit. 4. q. 9. vbi licet non vtatur verbis implicandis contradictionem, vel de potentia absoluta, re tamen vera illa est eius sententia, non solum quia dicit simpliciter esse impossibile, sed etiam quia dicit, annihilato Angelo vnus speciei, si Deus velit illam speciem reparare, necessario reproducurum esse eundem Angelum, & naturam angelicam non magis esse vniuersalem, quam ipsam diuinam naturam, ac proinde esse essentialiter incommunicabilem multis indiuiduis naturis, sicut illa est. Citatur etiam pro hac sententia Hieronymus in 2. d. 3. q. 2. art. 2. quem videre non potui, alii vero Thomistæ antiqui solent pro hac sententia citari, qui id non dicunt. Capreolus enim, qui maxime illam sententiam docuisse videtur, in 2. d. 3. qu. 1. concl. 5. & in solutionibus argumentorum contra illam, tandem ad 2. Durandi in solut. 4. contrariam non improbat etiam ex mente D. Thomæ. Eandem vero sententiam indicat Abul. in capit. 21. Matt. q. 19. & Paradoxo 4. cap. 34. licet distincte non dicat, implicare contradictionem, nec de absoluta potentia expresse loquatur. Fundamentum est, quia sola materia est principium intrinsecum distinctionis numerice, deficiente autem principio interno distinctionis, repugnat fieri distinctionem: Angeli autem carent materia, ergo non sunt capaces talis distinctionis. Secundo explicatur, quia Angelus est forma simplex, ergo non possunt duo Angeli distingui, nisi per formam, ergo formaliter, ergo essentialiter. Tertio quia essentia abstracta, & per se, ac absolute subsistens non potest multiplicari numero, quia habet totam perfectionem suæ speciei, sed Angelus est forma abstracta, & per se subsistens, ergo, &c.

Dicendum vero est, posse Deum de absoluta potentia plures Angelos eiusdem speciei, & solo numero distinctos producere. Ita docui in Metaph. disp. 5. sect. 2. d. nu. 23. & in nu. 28. & pro illa allegaui Scot. Durand. Gabr. Marfil. & Alensem, quibus nunc addo Bonavent. in 2. dist. 3. prima parte eius, & ibidem Richard. art. 5. q. 1. Argent. q. 2. art. 2. & Albert. in sum. p. 2. tra. 2. q. 8. Henr. quodlib. 2. q. 8. & quodlib. 11. q. 1. Egid. quodlib. 2. q. 7. Et ex Thomistis præter Capreolum supra citatum, qui saltem dicit, posse hoc admitti, etiam in schola D. Thomæ, constanter id docuit Petrar. 2. contra gent. c. 93. & ex modernis illam defendit Bannez, Cumel. & Ripa, vt omittam alios, quos in puncto 3. nominabo. Retuli etiam supra locum D. Thomæ, quem omnes etiam referunt in opusculo. 16. s. vlt. Restat autem, vbi in fine solutionis primæ obiectionis Auerois, ait, Valde ruditer argumentatur ad ostendendum, quod Deus facere non possit, quod sint multi intellectus eiusdem speciei, credentes, hoc implicare contradictionem. Vbi D. Thom. sentit, contrariam sententiam non solum esse falsam, sed etiam valde rudem, ac subinde improbabile. Quod mihi etiam videtur, quia diuinæ potentie denegat aliquem effectum finitum sine probabili fundamento, quo possit implicatio contradictionis in tali effectu ostendi. Quod late in dicto loco Metaph. declarauimus, & probaui, & ideo solum breui responsione fundamentorum contrariæ sententiæ contentus ero, quia eo ipso, quod ex parte rei non ostenditur, neque ostendi potest.

Primo sententia negans de potentia absoluta dicitur Angelos esse distinctos.

Probatur primo.

Secundo.

Tertio.

Veritas sententia affirmatiua.

Probatur.

di potest impossibilitas, sufficienter probatur id fieri posse à Deo, nam dicere Deum ex impotentia sua id non posse, erroneum esset.

4. *Responsio ad argumenta*
Ad primum argum. in n. 2.
Ad secundum.

Ad tertium

5. *Secundus sensus.*
Prima sententia, ne-

Ad primum ergo negatur maior, si excludat omnem aliud principium distinctivum etiam de potentia absoluta, & maxime, si universè intelligatur de tota latitudine entis, quicquid sit de materialibus rebus. Possunt ergo res carèntes materia distingui per suas simplices entitates, etiam si sint omnino in essentia integra similes, nulla enim in hoc inuoluntur repugnantia, & tunc illa distinctio erit tantum numerica, licet non sit per propriam materiam, nec per aliquod subiectum, sed per ipsas entitates, quæ cum à Deo esse recipiant, possunt etiam duo esse numero distincta recipere. Ad secundum respondetur, in secunda, & tertia consequentia esse æquiuocationem. Fateor enim Angelos, si creentur solo numero distincti, per suas entitates distingui, & quia entitates illæ sunt formæ quædam, etiam distinguuntur suis formis, vel potius seipsis. Non enim dicuntur formæ, quia informant, sed quia sunt naturæ, & essentia integræ sine materia subsistentes. Vnde male, vel ambiguitate inferitur in secunda illatione, distingui illos Angelos formaliter: nam formaliter distingui, proprie significat, distingui in effectu formali, vel in ratione formali, in quo sensu negatur consequentia, quia licet illa sit distinctio formarum subsistentium, non est distinctio formalis, quia non distinguuntur in eo, quod in eis formale est, & essentialiter, sed solum in entitate singulari, quæ solum entitativè ab alia distinguitur, quamvis in formalitate cum illa conveniat. Vnde si in illo secundo consequente distinctio formalis sumatur late, prout idem esse potest, quod distinctio formarum, sic nulla est vltima illatio de essentiali distinctione: nam duæ formæ possunt in entitate distingui, & non essentialiter, vt in anima rationali constat. Quod si dicatur in animabus esse principium distinctionis propter habitudinem ad corpus, nihil obstat, quia iam non agimus de principio distinctionis, sed de modo. Dicimusque posse saluari distinctionem formarum, sine distinctione essentiali, per solum distinctionem entitativam, quam non repugnat in formis omnino etiam absolutis ab habitudine ad materiam per suas entitates inveniendi. Vnde ad tertium negatur maior, quia nihil repugnat, formam abstractam à materia, & ab habitudine ad illam, multiplicari secundum numerum, & cum integra similitudine essentiali. Et ad probationem, quia forma sic abstracta habet totam perfectionem suæ speciei, respondetur id esse verum de tota perfectione essentiali, non de tota perfectione entitativa, seu (quod perinde est) de tota perfectione intensiva, non extensiva. Nam illa abstractio non obstat, quin talis forma posita in rerum natura sit individua, vt rectè D. Thomas in dicto opusculo probat, talis autem individua natura creata aliquid addit secundum rationem ipsi speciei, quod non est de essentia eius: nam sicut actualiter existeret non est essentia talis naturæ, etiam si in re non distinguatur ab illa, ita individuatio non est de essentiali conceptu talis naturæ, hoc enim est proprium diuinæ naturæ. Et ideo licet in tali forma sit tota species, quoad essentiam, quam vocamus perfectionem intensivam, non est tamen tota perfectio entitativa, quæ in tali specie potest multiplicari, quam perfectionem extensivam appellamus, vt latius in dicto loco *Metaphysica* declaratum est.

Secundum punctum est, an secundum ordinariam legem, seu de potentia ordinata, aut secundum ordinem rebus connaturalem sit possibile, Angelos sub eadem specie vltima secundum numerum multiplicari. Prima sententia dicit, licet hoc sit possibile de absoluta Dei potentia, quia non implicat contradictionem, non tamen secundum commu-

Suarez de Angelis.

nem ordinem vniuersi substantiis separatis connaturalem. Hæc videtur fuisse opinio D. Thomæ, nam ita visus est explicare mentem suam in dicto opusculo. 16. vt quando in aliis locis dicit, hoc esse impossibile, de hac potentia ordinaria loquitur, non de absoluta. Vnde inquit, quod licet substantiæ separate non habeant in sua natura causam distinctionis, nec naturalem cursum multiplicationis, possunt tamen sortiri multiplicationem ex supernaturali causa, nec esset implicatio contradictionis. Et in hanc sententiam propendit Capreolus in citato loco, licet eam magis non explicet. At vero Ferrar. dicto capit. 93. circa rationem 5. §. Ad hoc dicendum primo, aliquid amplius addit, putat enim secundum mentem S. Thomæ, posse Deum absolute facere plures Angelos eiusdem speciei, etiam stante hoc ordine vniuersi. Et fortasse (inquit) de facto sunt in vna specie plures, licet nobis causa distinctionis illorum non sit manifesta. Vnde vbi D. Thomas dicit, hoc esse impossibile, ipse exponit, id est, quoad modos multiplicationis naturalis nobis notos, vel quantum ad modum distinctionis numeralis, quem Aristot. nobis tradidit. Sed D. Thomas nullibi tam ample loquutus est, & non tractat, quid Aristoteles docuerit, sed quid in re ipsa sit: & non solum dicit, nos non cognoscere modum distinctionis, sed etiam ait, nos cognoscere, nullum esse naturalem modum talis distinctionis, & ideo in dicto opusculo causam supernaturalem ad talem distinctionem postulat. Denique in hac sententia est Aggid. dicto quodlib. 2. quest. 7. ait enim, quod Deus hoc potuit, sed secundum istum ordinem, quem videmus, non deuit, quod prolixo, & fatis obscuro discursu explicare conatur, & tandem dicit, secundum ordinariam cursum tam perfectum esse dare Deum substantiis separatis, quantum possunt ipsæ recipere: possunt autem illæ substantiæ, quantum ex se est, perfectum esse recipere in sua specie, & ideo si Deus iuxta naturalem capacitatem earum illis tribuat esse perfectum, non posse secundum numerum multiplicari. Possit autem Deus (ait) præter cursum naturæ non dare totum esse substantiæ separate, cuius est capax, sed limitare illud, & sic possit eas in eadem specie multiplicare.

Ego vero nunquam satis intelligere potui, quomodo in hoc effectu absoluta potentia ab ordinaria distinguatur, nisi confundendo quæstionem de quibus sit lex possibilis, cum quæstione de facto, quas tamen nunc distinguimus. Vnde vt controuersia de verbis auferatur, inquiri, an lex ordinaria in præsentia dicatur ipsa voluntas Dei, quæ de facto decreuit, has tantum res efficere, tanquam sufficientes ad eam vniuersi perfectionem, quam intendebat? vel lex ordinaria dicatur illa, quam res ipsæ secundum modum naturæ suæ debitum postulabant? Prior sensus quæstioni præsentis non inuenit, tum quia confundit quæstionem de facto cum quæstione de possibili, quid enim aliud est, inquirere, an sint plures Angeli eiusdem speciei vltimæ, quam querere, an Deus illos creauerit, & quia Deus nihil creat, nisi quod vult, idem est, ac querere, an voluerit illos creare: si ergo lex ordinaria est idem, quod voluntas Dei actualis, seu liberum decretum eius, idem est dicere, hoc esse possibile de lege ordinaria, quod dicere, hoc voluisse Deum facere. Vnde fit, vt impossibilitas secundum legem ordinariam in illo sensu tantum sit composita, id est, supposita voluntate Dei, quæ statuit non creare plures Angelos eiusdem speciei, illos esse non posse, quod friuolum valde est. Nam eodem modo dicere quis posset, non posse esse plures species Angelorum in quolibet ordine eorum; secundum legem ordinariam, quam modo sint, nec esse possibilem perfectiorem Angelum in natura, quam sit Lucifer (si fuit supremus omnium) quia supposito, quod Deus decreuit non creare perfectiorem, nec plures species in tali ordine, aliud non est possibile.

gans posse de lege ordinaria dare Angelos eiusdem speciei.

6. *Disquiritur quibus sit lex ordinaria in præsentia.*



7. Quid sit lex ordinaria resolutur.

Oportet ergo per legem ordinariam intelligere legem fundatam in ipsis rerum naturis, eisque consentaneam, & ita debitam, vt contraria lex præter, vel supra naturas talium rerum fit. Et similiter cum dicitur productio plurium Angelorum eiusdem speciei esse, vel non esse possibilis, secundum communem cursum causarum vniuersi, non debet in illis causis includi decretum liberum Dei absolute spectatum, quia notum est, quod sine illo nihil potest fieri, maxime in his rebus, quæ tantum ab ipso Deo fieri possunt, vt sunt substantiæ separatae. Atque ita si in hoc etiam fiat sensus compositus, non tantum de lege ordinaria, sed etiam de potentia absoluta, non possunt Angeli multiplicari in eadem specie secundum communem causarum cursum, nisi in hoc causarum cursu diuinum decretum liberum includatur. Igitur accipiendus est ordo causarum, includendo in ipsis Deum, vt proximam, & vnicam Angelorum causam, & in Deo ipso non est supponenda determinatio libera voluntatis ad creandum vnum, vel plura indiuidua in singulis Angelorum speciebus, sed consideranda est voluntas diuina, quasi in actu primo ad volendum creare vniuersum. Et sic est inquirendum, an secundum communem cursum, id est, secundum modum connaturalem creandi huiusmodi res, poterit Deus velle creare plures Angelos in eadẽ specie, ita vt id volendo, nihil supernaturale, vel modo supernaturali ageret, sed tantum vt causa ordinis naturalis operetur, sicut, modo creando, & multiplicando animas operatur.

8.

Sic ergo bene explicato sensu controuersia, diuina sententia affirmata eiusdem speciei vltima de potentia ordinaria, seu operando modo connaturali, & ipsis naturis angelicis consentaneo, quam de potentia absoluta. Ita sentiunt reliqui Theologi, quos in puncto præcedenti pro secunda opinione citauimus. Et probatur primo, quia vel in Angelis consideratis in esse possibili, prius ratione, quam Deus velit Angelos creare, aut vnum, vel plures in singulis eorum speciebus producere, est possibile intrinsecum principium distinctionis indiuiduorum in eadem specie ex parte entitatum possibilium talium Angelorum, vel non inuenitur in talibus naturis intrinsecum principium distinctionis.

Probatur primo.

Argumentationis minor bipartita.

Minoris pars prior probatur.

Confirmatur.

Si primum dicatur, possibile erit illa indiuiduorum multiplicatio, non tantum de potentia absoluta, sed etiam de ordinaria. Si vero dicatur secundum, non solum de potentia ordinaria, sed etiam de absoluta, impossibile erit talis multiplicatio, ergo non habet locum in præfati effectus talis distinctio. Consequentia tenet ex vi sufficientis partitionis, quæ in maiori fit, vt ex terminis contradictoriis manifestum est. Probatur ergo prior pars minoris, quia supposita capacitate, seu possibilitate ex parte obiecti, sicut potest Deus pro sua libertate velle creare vnum tantum Angelum in singulis speciebus, ita pro eadem libertate potuit velle creare plures, cum ex parte illorum possibilitas, & capacitas obiectiua supponatur. Et si hoc secundum voluisset, non magis ageret supra ordinariam legem, quam volendo primum, quia ante liberam determinationem voluntatis Dei nulla lex ordinaria supponitur ex parte ipsius Dei, nec ex parte ipsius speciei angelicæ magis vnitatis indiuidui, quam pluralitas postulat, cum vtraque sit æque possibilis, seu non repugnans ex parte sua, ergo data illa hypothese de capacitate ex parte obiecti, possibilis est multiplicatio, tam de ordinaria, quam de absoluta Dei potentia. Et declaratur aperte, quia si ponamus Deum velle creare duos Angelos in vna specie, tam naturalis esset creatio vniuersi, cuiusque illorum, ac si solus crearetur, & tam connaturali modo, seu secundum ordinem naturæ operaretur Deus creando duos, sicut creando vnum tantum, ergo tam est possibilis secundum communem

cursum creatio plurium, quam vnus. Antecedens patet, quia ex parte Dei non est difficilius creare plures, quam vnum, supposita non repugnantia ex parte obiecti, neque creando duos aliquid supernaturale efficit in aliquo illorum, vel in vtroque, vt distingui possint, quia solis suis entitatibus distinguere, quia talis distinctio supponitur possibilis in illis entitatibus simplicibus spectatis in esse possibili. Vnde nec in modo productionis necessarium esset aliquid supernaturale, sed sola multiplicatio creationum, quæ nihil supernaturalitatis includit, ergo illa multiplicatio indiuiduorum esset omni ex parte naturalis, ac subinde possibilis secundum communem cursum, vel legem. Atque hoc ex sequenti puncto magis confirmabitur.

Probatur ergo altera pars minoris, quia si in natura angelica considerata in esse possibili non præintelligitur possibile intrinsecum principium distinctionis indiuiduorum intra eandem speciem, per nullam potentiam etiam absolutam Dei fieri poterit naturalis multiplicatio, quia ex parte ipsius obiecti supponitur repugnantia. Quod probatur, quia impossibile est, intra speciem aliquam multiplicari indiuidua, nisi in se recipiant intrinsecum principium distinctionis, neque hoc principium addi potest ab extrinseco, si in ipsa intrinseco non inuenitur, ergo si supponamus, in Angelis non esse possibile tale principium intrinsecum, nullo modo poterunt creari distincti numero in eadem specie. Consequentia clara est, & antecedens probatur, quia distinctio vnus rei ab alia, ex parte ipsarum rerum spectata, est veluti quidam formalis effectus, qui sine propria intrinseca forma, vel quasi forma fieri non potest, nec Deus potest illam supplere, quia non potest supplere causam formalem, aut materialem intrinsecam, nec potest facere, quod ab intrinseco aliquid rei conueniat, quod illi non est natium. Et declaratur primo, quia sicut res non sunt entia actualia, nisi à Deo fiat, ita non erunt actualiter distincta, id est, vt actualia entia, nisi Deus illas distinctas efficiat, ergo sicut res non potest fieri ens actuale, nisi ordine rationis ex se supponatur possibile, ita non possunt duæ res creari à Deo, vt distincta, nisi obiectiue supponatur ex se distincta in esse possibili. Non potest enim Deus velle, vt res actu distinguantur, quas non cognosceret in esse possibili, vt distinctas, sicut è contrario non potest facere, vt sint vna entitas, quas cognoscat in esse possibili distinctionem entitatum possibilem habere, ergo si non præcognoscat in natura specifica angelica plures entitates in esse possibili distinctas, nullo modo potest illas distinctas producere. Declaratur secundo, quia si entitates illæ non sunt ab extrinseco distincta, aliquid eis adde- re oportebit, quo distinguantur; ac vero vt aliquid huiusmodi eis addi possit, oportet vt supponatur distincta: quomodo enim illud, quod superadditur, esset distinctum, si supponatur esse vnum, & idẽ illud cui additur, ergo repugnet prorsus distinctio numerica, si non præintelligatur possibilis, tanquam intrinseca ipsis entitatibus, & omnino eis connaturalis. Et ideo non recte fit comparatio inter alios effectus, quos Deus facere potest supernaturaliter in rebus, quia solum pendet ab ipso, vt ab efficiente, & sine, & hunc effectum distinctionis numericæ, qui non potest in rebus supernaturaliter fieri, si in ipsis entitatibus intime, & connaturaliter non inuenitur.

Vltimo declaratur impugnando alios dicendi modos: nam qui dicunt, angelicam naturam specificam secundum se esse indiuiduam, & incommunicabilem tantum multis, & natura sua catere intrinseco principio multiplicationis numericæ, ac proinde indiuiduum Angelum nunc nihil reale addere supra speciem Angelum, etiam ratione distinctum ab illa, & nihilo minus dicunt, posse Deum in eadem specie Angelos mul-

Minoris et. iudicant. posterior probatur.

Declaratur primo.

Declaratur secundo.

10. Probatur tandem repugnando modis alijs falsis.

multiplicare, plane contraria dicunt, tum quia contradictionem implicat diuidi, quod in diuisibile est, aut communicari multis indiuiduis, quod per se, ac precise spectatum, indiuiduum est, sicut de specie angelica isti docent. Tum etiam quia impossibile est, multiplicari ipsam speciem angelicam, quae vltima omnino, & completa esse supponitur, ergo si singularis Angelus nihil est, nisi ipsa species precise posita in rerum natura, non possunt magis multiplicari indiuidua, quam ipsa species, quia quae sunt omnino idem, eandem vnitatem, vel multitudinem in rebus creatis recipiunt. Tum denique, quia si species angelica vt creata in rerum natura non haberet entitatem de se natam distinguat ab alia simili entitate eiusdem speciei, interrogo, quidnam posset addere Deus tali speciei, vt indiuidua fieret, & posset ab alio indiuiduo distingui? Profecto nihil aliud intelligi potest, praeter ipsum esse actuale, quo fit talis actualis entitas: nam accidentia omnia supponunt entitatem substantiae singularem, & indiuiduam, imo & substantia supponit entitatem indiuiduam naturae, ipsum autem esse actuale (quod non potest esse nisi indiuiduum, & particulare) constituit indiuiduam entitatem actualem, in ipsa etiam angelica natura. At vero hoc ipsum esse reperitur nunc in qualibet singulari angelica substantia, & si plures eiusdem speciei creatae sunt, vel creati possunt, nihil aliud singulare haberent ex vi substantiae suae, ergo si talis multiplicatio non est intrinseca ex vi ipsarum entitatum naturalium, per nullam rem superadditam siue naturalem, siue supernaturalem fieri potest.

Modus autem vnitatis naturalis, vel multitudinis praeternaturalis, quem Aegidius excogitauit, profecto nec probabilis, nec intelligibilis est. Cum enim ait, Deum tantum dare de esse substantijs separatis, quantum possunt ipsae recipere, non solum id fate-mur, sed etiam addimus, supposito quod DEVS vult creare Angelum, necessario tantum illi dare de esse substantiali naturae ipsius, quantum potest ipsa recipere. Nam quod ait, posse Deum restringere, vel diminuire hoc esse, intelligi non potest, quia hoc esse nihil aliud est, quam ipsa entitas substantialis talis naturae: illa autem entitas indiuisibilis est, ita vt nec intendi, vel remitti, neque augeri, vel diminui in entitate possit, ergo neque in esse existentiae talis entitatis potest diminutio, vel additio intelligi. Imo (vt abstrahamus a quaestione de distinctione reali existentiae ab essentia) licet ipsum esse esset res distincta, etiam esset res indiuisibilis, neque posset in eo intelligi magis, vel minus ampliatio, vel restrictio. Quocirca, si Deus potest producere plures Angelos eiusdem speciei, quilibet illorum tantum habebit de esse substantiali, quantum potest ipse recipere, quia (vt ostendi) non est capax restrictionis, aut diminutionis. Neque illa multiplicatio fieret quasi per partitionem vnius esse perfecti in duo imperfecta: quis enim hoc intelligat? aut quae cogit necessitas ad id excogitandum, aut fingendum? sed fieret per productionem plurium entitatum, quarum singulae haberent totum esse, quod secundum naturam suam postulant, quia productio vnius non minueret perfectionem alterius. Ac denique quocumque modo cogitentur duo Angeli creati solo numero differentes, essent entitates substantiales simplices, & numero distinctae seipsis, & non per aliud, ergo haec distinctio connaturalis est illis entitatibus, & vnaquaeque illarum tantum habebit de esse, quantum nata est recipere, ergo nulla diminutio, vel restrictio in tali esse necessaria est, vt haec multiplicatio fiat.

12. Concludo igitur, sicut est possibile multiplicari numero Angelos in eadem specie de absoluta Dei potentia, ita etiam de ordinaria, neque ad hanc multiplicationem esse necessariam actionem aliquam supernaturalem, nec praeternaturalem, ac proinde fieri

posse secundum communem cursum causarum naturalium, ipsam etiam primam causam, vt naturali, & ordinario modo operantem in his causis includendo. Probatur, quia si illa multiplicatio est possibilis de potentia absoluta, supponitur ex parte naturae angelicae consideratae in esse possibili, non repugnare, nec deesse principium intrinsecum distinctionis numericae sub eadem specie, ergo eadem potestate ordinaria, qua Deus potest creare illam speciem, potest illam producere in vno, vel in multis indiuiduis, prout voluerit. Praeterea possumus hoc probare, ostendendo directe, differentiam indiuidualem non sumi necessario ab aliqua entitate distincta ab ipsa re indiuidua, sed in eadem simplici entitate posse fundari differentiam specificam, & indiuidualem, secundum diuersas comparationes ad alias res similes, sicut in eadem fundatur differentia generica, & specifica, ac proinde non minus connaturaliter posse in Angelis inueniri metaphysicam compositionem ex specie, & differentia indiuiduante, quam compositionem ex genere, & differentia. Et consequenter multiplicationem indiuiduorum in eadem specie, si in Angelis fiat, tam connaturalem esse, sicut multiplicationem specierum sub eodem genere. Nam licet foras hanc ad maiorem perfectionem, & meliorem ordinem spectet, nihilominus vtraque in suo perfectionis gradu aequae connaturalis est, quia neutra excedit ordinem, vel causalitatem consentaneam naturae, & in hoc solum dicta equiparatio consistit. Fundamentum autem illud de principio indiuiduationis indistincto physice ab ipsa rei entitate, etiam in simplicibus, in dicto loco Metaphysicae fuisse tractatum est, & ideo de quaestionibus de possibili haec sufficiunt.

Tertium punctum est, quid de facto sentiendum sit, creaueritne Deus plures Angelos sub vltimis speciebus illorum solo numero differentes, an vero vnum tantum? D. Thomas vbique negat, & ita in hoc concordant Thomistae omnes tam illi, qui dixerunt, contrarium esse simpliciter impossibile, quam qui sentiunt, de potentia ordinaria fieri non posse, & consequenter loquuntur, quia creatio Angelorum modo consentaneo naturae Angelorum, ac proinde secundum ordinarium cursum, qualis in opere creationis spectari potest, facta est. Ex alio vero, qui neutro modo putant esse impossibile creari plures Angelos eiusdem speciei, de facto non esse creatos, tenuit Argent. in 2. d. 3. q. 2. art. 2. in fine. Et potest tribui Aegidio dicto quodl. 2. q. 7. quatenus ait potuisse quidem id fieri, sed tamen secundum ordinem quem videmus, non decuisse, quod alijs rationibus probat in 2. d. 3. art. 2. & 3. licet interdum misceat rationes, quae vel probant rem esse impossibilem, vel nihil probant, quibus satis iam responsum est.

Coniecturatur igitur, quibus suadetur; Deum non multiplicasse Angelos intra eandem speciem, licet potuerit etiam secundum ordinatam potentiam, sunt. Prima, quia ordo per se nobilior est ordine per accidens, ergo in gradu angelico maior perfectio erit, si totus ordo illorum sit per se, ita vt tota multitudo personarum in illo gradu existentium per se, & essentialiter differat. Quod si dicatur posito toto numero specierum sufficientium in illo gradu, perfectiori modo extituras, si singulae in pluribus indiuiduis, quam in vno tantum reperiantur. Contra hoc replicabitur, quia si tota illa multitudo, quae in omnibus illis speciebus excogitatur, sit etiam specierum, maior erit perfectio. Secunda ratio est, quia multitudo indiuiduorum solum ordinatur ad conseruationem speciei, sed propter hunc finem non est necessaria in Angelis, vt per se patet, ergo est superflua, ideoque non est asserenda. Tertio roboratur haec ratio exemplo caelorum, in quibus sub specie vltima non multiplicantur, quia sunt incorruptibilia, & ille ordo pulchrior, & perfectior est.

puncto, siue sensu quaestio- nis. Probatur tertio.

Probatur quarto.

13. Tertius sensus. Prima sententia negans de facto dari Angelos eiusdem speciei.

14. Probatur primo.

Probatur secundo.

Probatur tertio.



15.
Vera sen-
tentia affir-
matur.

Nihilominus in re dubia, & incerta incredibilis videtur vel in omnibus, vel in pluribus Angelorum speciebus, plures solo numero differentes creatos esse. Ita tenent frequentius Scholastici, A. lens. Albert. Bonavent. Scot. Gabr. Durand. Marfilus, in locis supradictis. Nam licet inter se differant in maiori, vel minori multiplicatione eorum individuum asserenda, in hoc vero puncto, quod datur de facto multa individua sub speciebus angelicis, omnes conveniunt: & cum illis consentiunt ex modernis Molin. & Valent. Vasquez autem solum dicit, esse rem dubiam & incertam. Idemque sentit Pesant.

Probat
primo au-
thoritate
Patrum.

1. par. q. 50. artic. 4. dicens, vtrumque esse probabile. Probat autem assertio primo auctoritate Patrum, quos ca. 12. citavimus. Negari enim non potest, quin omnes illi vel clarum supponant, hoc esse possibile, salvo toto ordine naturae, & multi eorum simpliciter ita factum esse crediderint, quantum quia nec reuelatum est, nec evidentibus rationibus potest ostendi, interdum dicant esse rem dubiam, & nobis incognitam. Nullus tamen inveniatur, qui absolute negaverit ita esse, cum tamen multi id simpliciter affirmaverint, ergo signum est, hoc esse verisimilius. Secundo fit hoc probabile, quia supposita sufficienti multiplicatione generum, & specierum angelicarum, etiam multiplicatio individuum sub speciebus pertinet ad perfectionem, & pulchritudinem vniuersi. Haec enim perfectio & pulchritudo non est in sola vna perfectione maiori, sed ex omnium varietate confurgit, & ad hanc pertinet, vt in tanta multitudine omnes modi distinctionum inter personas illas inveniatur.

Secundo ex
congruitate.

16.
Tertio ex
ratione Po-
litia.
Quarto.

Tertio haec congruitas augetur ratione politica, quia ad ornatum aulae Principis pertinet, vt in omni ordine, seu gradu personarum sit aliqua multitudo cum aequalitate, vt cum maiori proportione possint eidem ministerijs inferuire. Quarto etiam ad perfectionem amicitiae, & societatis pertinet habere socios eiusdem gradus, & ordinis. Vnde si Angelorum multitudo in puris naturalibus consideretur ad modum vnius reipublicae, vel societatis, conuenientissimum videtur, vt singuli Angeli habeant socios sibi perfecte similes in natura specifica, cum quibus maiori quadam familiaritate, proportione, & societate coniungi possint. Quinto addere possumus, inter beatos inueniri aliquos omnino aequales in gratia, & visione beata, non solum in essentia visionis, vel gratiae, sed etiam in gradu, vt de pueris decedentibus cum solo baptismo, & de sanctis innocentibus videtur certum, ergo maiori ratione substantiae separatae poterunt esse in essentia specifica omnino similes. Et sexto addi potest, quod valde verisimile est, cum Deus praesciisset per scientiam conditionatam, ex multis speciebus angelicis aliquos fuisse damnandos, non illos tantum in talibus speciebus produxisse, sed alios etiam, quos praesciebat, fore salvandos, si crearentur, ne tota aliqua species periret, id enim ad diuinam providentiam, & misericordiam multum pertinere videtur, vt sensit Augustinus in Enchirid. capit. 29. Et consequenter, etiam si in multis alijs speciebus praesciret Deus, plures esse salvandos, si omnes crearentur, non propterea debuit vnum tantum creare, cum perseverantia de vno praescita, alijs nocere non debeat, & plurium similitudo beatitudo, ceteris paribus, diuinam gloriam augeat.

Quinto.

Sexto.

17.
Solutio
contraria
argumenta
in num. 14.
ad primu.

Denique coniecturae contrariae non videntur tanti momenti, quanti praecedentes. Ad primam igitur responderetur, licet ordo specierum, seu per se sit ex suo genere perfectior, quam ordo per accidens, seu individuum, non ideo solum priorem ponendum esse in Angelis, quia, vt dixi, perfectio multitudinis, seu corporis mystici non consistit in vno solo modo perfectionis, etiam si melior, seu maior sit, sed in varietate, & complemento omnium, cum suffici-

entia singulorum. Addi etiam potest, licet ordo specierum sit magis per se, & ex suo genere nobilior, nihilominus in particulari potest in aliquo excedere aliqua multiplicatio individuum multiplicationem, & numerum aequalem specierum, vt numerus duorum Seraphim, etiam si eiusdem speciei esse ponantur, est absolute perfectior materialiter, seu entitative, quam similis numerus ex vno Seraphim, & altero Cherubim conflatus. Vnde si non fuisset numerus Angelorum, vel Seraphinorum aliunde augendus, melius esset, duo Seraphim eiusdem speciei, quam vnum tantum cum vno Cherubim creare. Itaque vtraque multiplicatio habet suam perfectionem, & se habent aliquo modo sicut excedens, & excessum, & ideo in vtraque per se spectata in tali genere entium sufficiens ratio inuenitur, ob quam heri poterit, nec debuerit propter aliam omitti.

Ad secundum negatur antecedens, quoad particulam exclusivam, si vniuersaliter de omnibus indi-
18.
Ad secun-
dam.

uiduis intelligatur, vt in argumento accipi debet, vt non procedat ex puris particularibus. In solis ergo speciebus rerum corruptibilium habet locum illa peculiaris causa postulans multiplicationem individuum propter conseruationem speciei. Ex qua solum inferri potest, non esse tam necessariam talem multiplicationem in substantijs immaterialibus, sicut in materialibus, vt recte animaduertit Ferrar. 2. contr. gent. dicto capit. 93. circa rationem 3. Inferri etiam potest, multiplicationem individuum in substantijs immaterialibus non posse fieri per generationem, vel per emanationem vnius in diuidui ab alio indiuiduo, sicut fit in speciebus corruptibilibus. Inde tamen non sequitur, non posse individua illarum substantiarum altiori modo multiplicari, scilicet, immediate ab ipso creatore, a quo solo producibiles sunt, ac proinde simul, quia nulla ratio successione intercedit, cum creator tam facile possit plura simul, sicut vnum creare, & conseruare. Ac denique licet desit illa necessitas conseruandi speciem, non est multiplex alia conuenientia, ob quam isto eadem modo Angelos multiplicare oportuit, vt ex dictis constat, & magis ex sequenti solutione declarabitur.

Ad tertiam sumptam ab exemplo caelorum respondetur in primis, id, quod affumitur, exploratum non esse: nam de differentia specifica inter omnia caelestia corpora, magna est inter Philosophos controuersia. Et quantum ipsa corpora integra esse diuersarum specierum, & similiter planetas specie differre, probabile fit, de stellis firmamenti non est improbabile, vel omnes, vel saltem plures esse eiusdem speciei, quia nec repugnat, nec ex effectibus aliud constat. Deinde dicimus esse longe diuersam rationem de corporibus, & spiritibus: nam in corporibus distinctio individuum fit media quantitate, & in corporibus inanimatis, & homogeneis, vt ex maiori parte sunt caeli, multitudo individuum consistit in partium discontinuatione, & ita in corruptibilibus corporibus per diuisionem partium quantitarum ordinarie fit. Quia ergo corpora incorruptibilia incapacia sunt talis diuisionis, & natia vniuersi, & continuatio partium ad maiorem ipsorum perfectionem pertinet, ideo in eis non est ita necessaria, vel conueniens indiuiduum multiplicatio, sed haec per magnitudinem corporis, & per potentialem multitudinem similiarum partium vniuersi supplementur. In rebus autem spiritualibus distinctio numerica non confurgit ex diuisione continui, sed ex natura talium entitatum, & ideo in illis multa maior ratio talis multiplicationis reperitur. Denique intercedit notanda differentia inter caelos, & angelicos spiritus: nam caeli non ita sunt propter se creati, sicut Angeli, caeli enim creati sunt praecipue propter huius vniuersi integritatem, & propter necessitatem influentiae illorum ad generationem inferiorum corporum.

corporum, quæ tandem ad prædestinatorum numerum complendum ordinata sunt. Et ideo in tanto numero creati sunt, quantum ad illum finem necessarius, & sufficiens fuit. At vero substantiæ spirituales sunt multo aliter per se intentæ, & immediate ad laudem, & gloriam Dei ordinatæ, & ideo in eis non tantum species, sed etiam indiuidua sunt per se intentæ ad perfectionem vniuersi, sicut de indiuiduis speciei humanæ dixit D. Thomas 1. p. q. 23. art. 7. & ideo numerus etiam indiuiduorum in speciebus angelicis non limitatur ex utilitate aliqua, vel

necessitate ad finem extrinsecum, quia licet multa sint, omnia, & singula sunt apertissima ad laudandum Deum, & quo plura fuerint, eo magis gloriam Dei augent, cæteris paribus, ideoque solus Deus per consilium voluntatis suæ potest illi numero certum terminum præfigere; nulla autem ratio inuenitur, cur non potius aliquam proportionatam multitudinem, quam singularitatem indiuiduorum in illis etiam speciebus elegerit.



ELENCHVS LIBRI SECVNDI.

De intellectu potentia Angelorum, naturali que cognitione.

Continens vltra præfationem capita 40.

- CAP. I. *Vtrum Angelus intellectu, & actu à seipso distinctis indigeat.*
- II. *Quod sit adequatum obiectum specificans angelicum intellectum.*
- III. *Vtrum Angeli speciebus intelligibilibus indigeant.*
- IV. *Quomodo Angelus seipsum, & omnia, quæ in eo sunt, videat.*
- V. *Vtrum Angelus alios per suas essentias, vel per species cognoscat.*
- VI. *Quomodo Angeli res materiales singulares cognoscant.*
- VII. *Vtrum species Angelorum ab ipsorum intellectu, an à solo Deo efficiantur.*
- VIII. *Vtrum Angelus concretas habeat species rerum omnium naturaliter existentium.*
- IX. *Vtrum Angelus per species sibi inditas possit futura cognoscere.*
- X. *Vtrum Angelus futura singularia per inditas species cognoscat.*
- XI. *Cur Angeli sicut vident res presentes, non videant futuras.*
- XII. *Quomodo Angeli per species inditas certo cognoscant res præteritas.*
- XIII. *Vtrum Angelus per species inditas naturalia omnia possibilea cognoscere valeat.*
- XIV. *Vtrum Angelorum species vniuersales sint, vel particulares.*
- XV. *Vtrum Angeli quo superiores, eo per species vniuersaliores intelligent.*
- XVI. *Quomodo varietas specierum vniuersalium diuersis Angelis conueniat.*
- XVII. *Vtrum Angeli naturaliter habeant inditam speciem Dei propriam.*

XVIII. *Vtrum*